

*non alios magis oportere scientiæ huic studium su-
 um impendere, quàm Mundi Monarchas, Cæsa-
 res, Reges, Principes, Nobiles. Sunt hi præ cæte-
 ris Divina Mentis idea, in quibus eluceant Divi-
 na Virtutes, Sapientia, Bonitas, Clementia, Li-
 beralitas, Fortitudo, aliaque mentis ornamenta:
 sunt inter homines Dii. Cælum ergo, quæ DEI
 domus est, inhabitent; DEO cohabitent præ cæ-
 teris. Quod quoniam mortali adhuc corpore in-
 dutis non licet, suspiciant saltem si non semper, a-
 liis tamen frequentius atque accuratius, cælum.
 Lactantium audiant, qui Lib. 2. Divinar. Insti-
 tut. Cap. 2. illos, quibus præcipua cura cæli contem-
 platio nascendi conditione esse debet, ita alloquitur:
 Quid ergo rebus inferioribus subjacetis? quid capi-
 tibus vestris terram superponitis? cùm enim vos
 terræ submittitis, humilioresque facitis; ipsi vos
 ultrò ad inferos mergitis, ad mortemque damnatis;
 quia nihil terrâ inferius & humilius, nisi mors & in-
 feri. Quæ si effugere velletis, subjectam pedibus
 vestris terram contemneretis, corporis statu salvo:
 quod idcirco rectum accepistis, quò oculos atque
 mentem cum eo, qui fecit, conferre possietis;
 Scilicet cæli aspectu & contemplatione. Nec aliter
 fecère*